

Odys. X. quod cum is ollam fictilem dormiturus capiti supposuisset pulvinaris loco, et duram nimis expertus esset, plumis eam replevit, quo mollior foret culcitra. Sed quemadmodum miser iste in vanum laboravit: ita faciunt, qui cum ob peccatorum remorsum dormire in culcitra conscientiae nequeant, plumis orationum, elemosynarum et jejuniorum eam replere et emollire volunt: sed non fit his plumis mollior et quietior conscientia, nisi duritiam peccati contriveris per poenitentiam, sicut nec sanari potest manus, si emplastrum pedi adhibeas. Unde collector speculi refert exemplum de dæmone, qui visus est in templo irridere et subsannare mulierem quamdam ante altare prostratam et lacrymis indulgentem: eo quod speraret lacrymis delere certum aliquod peccatum, quod confessione nolebat.

VI. Agmen claudunt omnes illi, qui hoc tempore nesciunt esse læti, nisi insaniant et modestiae limites enormiter excedunt, ac proinde non jam homines, sed bestiae aut prorsus insani et amentes videntur aut ad instar illius Pisandri amentis qui ab anima sua destitutum se putabat, cui ne occurreret, impense formidabat. Quidam enim adeo insaniant, ut mentem ab eis fugisse putes. Alii quasi furiosi et cestro perciti undique discurrunt, quemadmodum de Præti filiabus refert Nicolaus Leon. I. II. c. XVIII. quæ vacas sese putantes, impleverunt falsis mugitibus agros. Alii delicati nimis, qui cum stultorum personas induant, vexari tamen et haberi stulti nolunt, modica irrisione aut verbo ridiculo taeti excandescunt, similes iis stultis, qui teste Galeno et Avicenna, se vasa fictilia esse credebant, et deirco hominum attactum, ne confringerentur, sollicitè cavebant. Alii superbi et arrogantes, qui putant omnes alios sibi cedere debere et soli ipsi plateas occupare ac domos intrare volunt, similes illi stulto, qui putabat se nasum habere longissimum instar perticæ, unde ingredientiæ vel paulo propius ad se accedentes clamoribus creabat, monens ne in nasum ipsius impingerent. Alii denique clamant in plateis quasi a diabolo obsessi, similes illi insano, qui gallum conspicatus priusquam caneret, brachia motiabat et galli cantum edebat. Quæ omnia a sapientibus irridentur, Deum vero non immerito ad iracundiam provocant. Ad extremum igitur eum apostolo moneo ad Phil. IV. *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete: modestia vestra nota sit omnibus hominibus; Dominus enim prope est.*

CONCIO VII.

STULTI LAUDE DIGNI.

I. Qui sinceræ mentis sunt. — II. Qui se ulcisci nesciunt. — III. Qui prompti ad obediendum. — IV. Qui timoratæ conscientiae sunt. — V. Qui nesciri in mundo amant. — VI. Qui se a mundi vita segregant.

THEMA.

Qui præbiant increpabant eum. Luc. XVIII.

Fateri debeo vetutissimum omnium festorum esse festum bacchanalium. Ea siquidem originem suam ducunt a gentilibus Romanis, qui multo ante Christi nativitatem bacchanalia celebrabant, in quibus usque ad amentiam saltitabant et furebant: et præterea ferias stultorum hoc mense februario, ut auctor est Festus, apud Rosinum, in antiquit. Romanor. ubi stulti et ignorantes Romulo sacra sua faciebant, farragines coquendo. Tales autem sunt et hæc nostræ feriae: ac qui eas nescit, in fastis rusticianis quærat et stultum ibi depictum reperient. Quod si igitur tam antiquum et receptum est hoc festum, quid est quod audio interdictum esse? Ego sane tametsi magistratui sæculari nihil præscriptum aut præjudicatum volo, prohibere minime possum aut debeo, ferias stultorum. Siquidem apostolus, I. Cor. III. stultitiam non modo non interdicit, sed etiam suadet ac præcipit. Quid enim ait? *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens.* Ecce quid ultra requirimus? Prohibuit nobis ante annum (in præcedente concione) idem apostolus stultitiam perniciosam quemadmodum audivimus: nunc vero nobis commendat stultitiam salutarem et hanc ego cuicumque non modo his diebus, sed etiam toto anno colendam, non permitto solum, sed suadeo et consulo: *Optoque apud Deum, et in modico et in magno, omnes, qui audiunt hodie, fieri tales, quemadmodum idem apostolus ad Agrippam dixit, Actor. XXVI. Et tametsi mundus ejusmodi stultos increpat, quemadmodum et illi, qui præbiant Christum, cæcum clamantem, nihil tamen moveamur, sed cum cæco tanto magis pergamus, stultitiam hanc colendo. Quinam vere hujusmodi stulti? Videamus.*

I. Tales sunt, qui fallere, simulare, mentiri, et veritatem tegere vel palliare nesciunt, sed pure, candide et aperte agunt: qui non aliud in ore, aliud in corde gerunt, sed rem ut est proponunt, monstrant, vendunt, etc. Istos a mundo pro stultis haberi, innumeris exemplis patet. Producat aliquis equum suum in foro vendendum.

et aperiat ultro defectus illius et vitia, ac propterea minus se pretium exigere pro eo velle dicat, annon iste actutum audiet a proximo quoque: Stultus es tu, qui occulta equi tui vitia prodis, poteras enim majori vendere pretio si ea tacuisses? Reperit quis rem pretiosam in via, quare curat statim id promulgari de cancellis et undique inquiri, ut domino restituat, statim et ipse audiet: Stultescis tu, qui rem istam proclamas: nam si tacuisses, ea tibi mansisset. Vendidit alius equum sexaginta florenis? Emptor ei per errorem numerat septuaginta vel dedit pecunias minori pretio, quam valeant, per ignorantiam, etc. Hoc advertit venditor cum domi pecuniam rursus numerat: superfluum igitur quod accepit, decem scilicet florenos restituit emptori: et ob id statim proclamatur a mundo stultus. Sed stultitia ista, sapientia est apud Deum teste apostolo, opposita vero illi astutia seu mundi sapientia, stultitia est apud Deum. I. Corinth. V. ait: *Quare non magis fraudem patimini? Sed vos injuriam facitis et fraudatis et hoc fratribus. An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare.* Nam revera qui ita fallit proximum, eo ipso longe magis seipsum decipit: contra qui sincere agit, omnem deceptionem evadit, ac proinde hic vere sapiens, ille stultus appellari debet. Si quis enim gloriaretur se decepisse confessarium suum, eo quod rimentanti conscientiam ambigue responderit, et rei veritatem celaverit: nonne hic seipsum decipit potius quam confessarium? Nonne lethale vulnus abscondit medico? Nonne idem agit, quod stultus ille viator, qui cum in hospitio ovum fetum ac foetidum devorasset, gloriabatur postea et gaudebat, quod cauponi imposuerit; cui pullum gallinæ a se devoratum in ovo non solvisset? Sapiens contra est eorum stultitia, qui nesciunt fraudem facere; hoc ipso enim se ab errore et deceptione liberant, salutem suam in tuto collocant. Cujusmodi exemplum refert S. Chrysost. hom. XXX. ad pop. scribens: «Erat quodam in loco thesaurus absconditus, cumque id loci dominus nesciret, alii locum venundedit. Emptor cum foderet ut in agrum mutaretur, excoleretque reperit thesaurum, convenit venditorem, offertque ipsi thesaurum, locum enim se dicebat, non thesaurum emisse; possessor respuit donum, dicens: Vendidi locum, nec jus in eum habeo amplius. Pium hocce erat certamen.» Sane uterque horum nostro præsertim tempore stultus judicaretur: sed interim uterque coram Deo sapiens erat, quia uterque malebat temporali commodo carere, quam vel periculum tantum spiritualis damni subire. Simile huic certamen legimus inter Abraham et

regem Ephron, Gen. XXIII. Volebat Abraham ab Ephron emere speluncam in sepulturam Saræ. Noluit Ephron vendere, sed voluit donare. At excipit rursus Abraham, nec nisi pecunia emptam acceptare vult. Audiamus aliud a S. Aug. in l. L. hom. IX. et de verbis apost. serm. XXI. «Dicam, inquit, quid fecerit quidam pauperrimus, eo tempore quo S. Ambrosius Mediolani erat episcopus, ubi tunc præsens erat etiam Augustinus nondum episcopus. Tam pauper erat ille, de quo loquimur, ut proscholasticus esset grammatici, sed plane verus et perfectus Christianus: sed melior fuit ille, qui ad velum stabat, quam ille, qui in cathedra sedebat? Pauper ergo iste invenit sacculum ducentorum solidorum, memor tamen divinæ legis proposuit petacium publicæ: Qui solidos perdidit, veniat ad illum locum, ut quærat illum hominem. Ille qui plangens circumquaque vagabatur, invento et lecto petacio, venit ad hominem. Et ne forte alienum quæreret, sed suum, quæsivit signa, interrogavit sacculi qualitatem, solidorum etiam et numerum. Cum omnia fideliter etiam ille respondisset, reddidit quod invenerat. Ille repletus gaudio et quærens vicem rependere, tamquam decimas obtulit illi solidos viginti. Noluit accipere. Obtulit decem. Noluit accipere. Saltem rogavit, ut vel quinque acciperet. Noluit. Ille stomachans, projecit sacculum: Nihil perdidit, ait: si non vis a me aliquid accipere, nec ego aliquid perdidit. Quale certamen, fratres mei, quale certamen, qualis pugna, qualis conflictus! Theatrum mundus, spectator Deus. Victus ille, quod offerebatur, accepit et continuo totum pauperibus erogavit. Unum solidum in domum suam non misit. Considerate, fratres, tam gloriosum exemplum et tam admirabile factum.» Huc pertinent Germani illi, qui cum Romæ reperissent marsupium nummis bene sartum, ducti conscientia loculos ad Panigarolam celeberrimum ecclesiasten detulerunt. Qui acceptis loculis in cathedram ascendit et in Germanorum laudes facundissime digressus palam dixit: «Ecce hos loculos plenos nummis attulerunt Germani, ut quæretur dominus. Quis vestrum simile quid unquam fecisset? Quis inventam hanc pecuniam sibi statim non vindicasset tacitusque reservasset? Longe alia mens Germanis est, ut videtur, qui ob tam præclare factum omni commendatione dignissimi sunt.» Utinam hæc præstantissimi concionatoris laus non illis solis, sed omnibus Germanis vere tribui posset. Refert P. Grelserus, in posthumis rerum variarum. Isti, auditores, isti sunt stulti mundo, sapientes autem Deo.

II. Qui injurias tolerant patienter et dissimu-

lant, qui nesciunt irasci et ulcisci, sed potius arident et injuriantibus benefaciunt. Nam si tu contumeliam vel alapam accipias, sed dissimules, ignosceas, arrideas : statim aderit alius, qui tibi in faciem dicat : Stultus es, si hoc pateris. Similiter si auferenti tibi tunicam præbeas et pallium : si percutienti te in maxillam præbeas et alteram, idipsum audies, stultitiæ argueris. Sed et hæc stultitia, sapientia est apud Deum ; mundi vero sapientia, stultitia. Unde apostolus, loc. suprad. ait : *Quare non magis injuriam patimini? Sed vos injuriam facitis, etc.* Et suadet idem suo exemplo, I. Corinth. IV. cum ait : *Nos stulti propter Christum.* Et quare stulti vos apostoli? Quia nimirum *maledicimur, inquit, et benedicimus : persecutionem patimur et sustinemus : blasphemamur et obsecramus.* Hanc enim mundi stultitiam, Dei vero sapientiam docuit eos Dominus cum dixit : *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persecutibus vos :* et rursus : *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi et alteram, et ei qui vult tecum judicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium,* Matth. V. Ratio est, quia qui injuriam dimittit, gloriam sibi acquirit temporalem et æternam : qui vero ulciscitur, nihil efficit, nisi quod seipsum vulnerat gravissime, inimicum vero levissime : converso enim in se gladio contra inimicum currit. Ejusmodi stultitia claruit sanctus ille pater, quem narrat abbas Zozimus, apud Rader. III. p. virid. ss. c. II. solvisse aliquando vestem sibi coemptam, quam dum ad peæes interim positam fur quidam surripere conaretur, studio dissimulasse, seseque erexisse et alio convertisse oculos, quo commodius alter tolleretur jacentem : quasi non sibi, sed furi vestem comparasset. Sic et alius quidam senex eremita apud Eviratum, in prato spir. cap. CXXI. qui furibus ad se venientibus ut suppellectilem ejus omnem tollerent, marsupium interim oblitis, eos cum marsupio insecutus clamavit : *Accipite et istud, quod tollere oblitus estis.* Simile exemplum refert S. Gregorius, I. I. dial. c. II. de abbate Libertino, quem quidam raptores equo dejiciebant et equum abducebant, qui non tantum non commotus est ea injuria, sed etiam virgam, qua equum citius abigere possent, attulit abeuntibus. Non tenemur nos isthæc imitari : debemus tamen parati esse ad omnis generis injurias æquo animo ferendas.

III. Qui cæcam exercent obedientiam et promptitudinem ad assensendum articulis fidei, ad obsequendum Christi, Ecclesiæ et superiorum mandatis : nec disquirunt cur hoc vel illud facere jubeantur? Sufficit enim illis præceptum

esse a Christo, Ecclesia vel superiore. Isti enim stultorum instar personati incedunt, et velut cæci ductum alienum sequuntur, maximo suo merito. Et ex hoc capite Christus gentibus stultitia est, et Christiani stulti quod adorent Crucifixum. [Item stulti judicamur ab hæreticis, quod imagines ligneas et eucharistiam adoremus, quod jejuniis et afflictionibus carnem maceremus, quod variis Ecclesiæ cæremoniis Dei cultum peragamus, etc. Quinetiam apud catholicos stulti reputantur ab aliquibus, qui confessario detegunt omnia sua peccata, præsertim gravia, injustitias, turpitudines et similia. Qui tamen ipsimet de ingenti stultitia convincuntur, siquidem proprium sensum, qui in nobis nunquam caret sua stultitia, sequi malunt, quam Dei expressum verbum et mandatum, Ecclesiæ sanctæ ductum, superiorum consilia, indeque dum videre se existimant, cæci fiunt et cæcorum instar graviter labuntur. Qui vero fidei et Ecclesiæ ductum sequuntur securissime ambulant : qualis Abraham, qui ad præceptum Dei proprium filium immolare paratus fuit; et in nostra lege illius æmulus, Mutius, qui cum octenni filio cœnobium obtinens, postmodum ab abbate simulante se filium ejus ægre ferre, jussus filium in flumen jactare, confestim quasi a Deo id sibi præceptum esset, arripiens filium properavit ad flumen filium mersurus, quod et factum esset, nisi constituti fuissent aliqui, qui projectum parvulum mox eriperent, Cassian. I. IV. c. XXVII. Talis Joannes ille discipulus postea abbas, qui aridum stipitem in terram depangere, et tamdiu aquis rigare, quoad reviresceret, ab abbate jussus paruit; quo facto post triennium, quo laborem perpetuavit, stipes effloruit; quo miraculo ostendit Deus, quam grata sit ei simplex obedientia, Cassian. ibid. XXIV. In quo genere virtutis etiam prophetas suos in veteri lege mire Deus exercuit. Isaïæ præcepit, ut nudus et discalceatus incederet, Isaïæ XXVI. Jeremiæ, ut vincula et catenas circa collum poneret, et ita passim obambulet, Jeremiæ XXVII. Ezechieli ut instar furentis barbam raderet et ponderatos capillos divideret in tres partes, quarum unam combureret in medio civitatis, alteram concideret gladio, tertiam in ventum spargeret, Ezech. V. Quæ quidem ad certas clades vaticinandas populo præcepit Deus : interim tamen etiam exercere in simplici et stulta obedientia servos suos voluit.

Hujusmodi stultitia præditos esse nos oportet, cum magistratus noster præcipit nobis ea, quæ non intelligimus. Credendum enim quod cum Deus mundum regat, iis interpositis, afflet eos speciali lumine ut intelligant, quid reipublicæ

vel familiæ suæ expediat. Unde Salomon rex fidenter hoc donum a Deo petit, quasi sibi quædam tenus debitum : *Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit.* Nulla manifesta ratione niti videbatur lex illa Lacedæmoniorum : *Ne ephori barbam nutriant :* nec illa Romanorum : *Qui donantur libertate, minutis festucis conspergantur :* nec illa Solon : *Honore privetur, qui se in seditione neutri parti adjunxerit, ut scribit Plut. I. de sacra numinis vindicta ;* his tamen omnibus tamquam justis parebatur. Quid hic filios Rechab commemorem abstinentes a vino jussu patris? Hier. LIII. quid Isaac sinentem se a patre ligari ad cædem? Gen. XXII.

IV. Qui timorata et tenera sunt conscientie et malunt quidvis pati, quam leve aliquid peccatum admittere, v. g. mendacium dicere, sacrum negligere, jejunium frangere, potum immoderatiorem, unde aliquid detrimentum timeant, sibi propinatum exhaurire. Tales enim a mundo scrupulosi, religiosi et sancti per jocum vocantur et habentur stulti. Eodem pertinent, qui levi verbo, signo, exemplo, comminatione, etc. ad pœnitentiam commoventur et vitam in melius commutant, a prava societate recedunt, etc. hos enim quasi formidolosos, parum cordatos et stultos vocare solet mundus. Talis S. Paul. qui cum narraret quomodo voce divina prostratus et ad christianismum conversus esset, Festus proconsul dixit : *Insanis, Paule,* Act. XXVI. Talis senior Theodosius imp. qui ab Ambrosio ob cædem Thessalonicensium ejus imperio patratam a templi ingressu exclusus objurgatus (*Secutus es errantem, (Davidem) sequere pœnitentem*) illico se accinxit ad publicam in ecclesia pœnitentiam faciendam. Talis et junior Theodosius, qui ut in alio loco diximus, præter jus et rationem a monacho sibi importuno est excommunicatus, adeo hunc ictum sensit (tametsi nullarum virium erat) ut quiescere non posset, donec conquisitus undique monachus accerseretur, ipsumque anathemate solveret. Quod si iste nostro sæculo fecisset, mundus eum insanisse diceret, ut qui tam brutum fulmen tonitru ex pelvi, ut dici solet, timuerit. Talis ille Joannes Opanii Sabaites Antiochus dictus, qui somnians aliquando in severo Dei examine debere se centum auri libras, experrectus statim intellexit quorsum eæ rationes pertinerent. Ergo seipsum allocutus : *Infelix, inquit, Antioche, ingenti ære alieno oppressi sumus multaque rovis nomina et debita sunt persolvenda.* Inde per triennium in cœnobio se subjecit omnibus, omnium jussis paruit, omnes injurias toleravit. Post triennium, rursus somnians vidit decem tantum auri libras de rationibus suis esse

deletas. Unde : *Miser, inquit, Antioche, toto triennio non nisi decem libras de centenis persolvisti : ecquando totum æs ac debitum desolves?* Itaque pro fatuo et amente se gessit, molestissima et abjectissima quæque onera monasterii perferendo. Et post tredecim annos vidit rursus in somno totam debiti syngrapham esse deletam, refert Raderus, I. par. virid. ss.

Huc referendi essent, si christiani fuissent, Thraces, qui videntes ducem suum plurimas fabricantem scalas, dicentemque se iis ad Junonem in cœlum ascensurum, ut eos accusaret, metu perculti, ea quæ imperaverat, faciebant, Theat. Zwing. Item Cyaxares Medorum et Halyatres Lydiorum reges, qui dum arma conserentes maximam viderent solis obscurationem, ambo consternati quasi Deo sibi irato, pacem fecerunt. Utinam et nos hæc simplicitate laboraremus! Quot pauperes, quot sancti scalis orationum suarum quotidie in cœlum ascendunt et peccatores ac persecutores suos accusant! De his enim Dominus ait : *Clamor eorum ascendit coram me.* Ad hæc nonne scimus tenebras factas esse passo Domino, ita ut qui *aderant ad spectaculum istud* (ait Lucas) *percutientes pectora sua revertentur?* Et cur nos propterea non punimus scelerata nostra, quorum causa Christus passus est? Cur non sublata omni hostilitate et inimicitia pacem inter nos sancimus?

V. Qui nesciri imo contemni in hoc mundo amant, ut virtutes suas tegant, pericula peccandi evadant, merita sibi acquirant et Christo se assimilent, etc. Hanc stultitiam profitentur monachi, dum cappas gerunt, stultorum alioquin insignia, vestes item sordidas varii coloris, laceras et squalidas. Quorum vitam æstimant mundani *insaniam et finem sine honore,* Sap. V. Hujus studii ardentissimus sectator fuit Simeon Salus, qui stultum se simulans, cum esset prudentissimus, ab omnibus contemni se gavisus est, atque ut magis contemneretur, multa fecit ridicula. Inter alia canem mortuum pedibus suis alligatum per civitatem traxit; si quis ei velut sancto honorem impertiebat, eum verberibus pulsabat, vel prope se subripiebat; eodem fine tabernas, cum esuriret, ingrediebatur publicas, ibique vescebatur; domicilium scorti intrabat et formidinem in egressu simulabat, quasi scelus ibi patrasset; cum tamen esurienti mulieri cibum tantum attulisset, Metaphrastes, apud Surium, tom. IV. I. julii. Hujus sectator erat S. Jacoponus Tudertinus nobili genere natus, qui amentiam simulans, ad propinqui nuptias venit corpore nudo, prius peruncto, post in discoloribus plumis volutato, atque ita instar Africanæ alicujus feræ in media

solemnitate comparuit et iudos omnes nuptiales disturbavit, Rader. p. II. virid. ss. c. III.

Quis vero nunc dubitare potest talium stultitiam magnam esse coram Deo sapientiam, siquidem thesaurum abscondunt, ne si ostendant, eo spolientur? Quemadmodum ergo David nequaquam fuit insanus sed sapientissimus, quando coram Achis rege insanum se simulavit et ab eo velut insanus ejectus est, I. Reg. XXI. siquidem per insaniam illam simulationem vitam suam tutatus est et periculum mortis evasit; et sapientissime fecerunt sancti, qui in mundo contemni velut insani quaesierunt, gratiam enim interim et virtutes suas tutati sunt.

VI. Qui se a communi saecularium vita segregant (maxime hoc tempore ubi pene totus mundus in maligno positus) orationi et devotioni student, confitentur, communicant, et poenitentiae opera faciunt: haec enim adeo aliena sunt ab hoc tempore, ut mundus insanire illos putet, qui talia agunt. Evenit quoque illis quod caeco hodierno secus viam sedenti et clamanti: Jesu Fili David, etc. quem increpabant qui praebant. Qui enim his diebus stultitiae non vacat, statim increpatur: quemadmodum et Tobias senior, qui quod a convivio invitatorum exiliret et tolleretur mortuos in plateis ac sepeliret, arguebatur a proximis et irridebatur a parentibus et cognatis, Tob. II. Quam pietatem ab ipsa juventute coepit, nam cum omnes coetanei ejus irent ad vitulos aureos, quos Jeroboam fecerat, hic solus fugiebat consortia omnium, et pergebat in Jerusalem ad templum Domini et ibi adorabat Dominum Deum Israel. Ita et Job laudatur, quod dum filii ejus faciebant convivia in domibus suis per vices, comedebant et bibebant, ipse interim pro iis offerebat holocausta ad placandum Deum si offendissent eum filii Jobi. Placeret etiam Deo si qua alia pietas et devotio, quae his diebus dirigeretur ad placandum Deum pro peccatis hominum, quae hoc triduo liberrime patrantur. Demonstrare quidam voluit, facilius esse hoc bacchanaliorum tempore intrare ad caelum, quam in hebdomade sancta, eo quod hoc triduo caeli aditus minime sit frequens, sed desertus et quietus, siquidem nunc paucissimi ingredi contendunt: in sacra vero hebdomade, omnes velle intrare, inde comprimi intrantes, adeoque tunc difficilius ingredi. Ridicula est haec argumentatio, non tamen prorsus vana. Quo enim rariores sunt, qui his diebus devotioni et piis operibus student, eo cariores Deo sunt, majorique laude digni quod inter reprobos boni sint, uti Job et Tobias inter gentiles constituti.

Hi sunt, auditores, hi sunt stulti illi, quos apostolus requirit, vel optat potius, utpote raros

in hoc mundo, quibus utinam nos associemur, etc.

CONCIO VIII.

DOCUMENTA.

I. A Christo: 1. Morti obviare. 2. Profanam letitiam ablegare. 3. Misericordiam et liberalitatem. 4. Modestiam et humilitatem. — II. A caeco: 1. Interrogare de rebus quas nescis. 2. Captare occasionem salutis. 3. Perstare incepto virtutum. 4. Sequi Christum.

THEMA.

Domine, ut videam. Luc. XVIII.

Laudandus est hic caecus, qui cum audiret Christum se offerentem ad faciendum id quod vellet, non petiit divitias, non honores, non delicias, nec animas inimicorum suorum, sed lumen oculis suis: Domine, ut videam. Verum magis adhuc laudandus fuit Salomon, cum optione sibi a Deo data, ut peteret quod vellet, petiit lumen spirituale et supernaturale, sapientiam videlicet ad regendum populum suum. Quae petitio adeo Deo placuit, ut ad lumen sapientiae adjiceret illi opes, gloriam et honorem, III. Reg. III. Atque hoc est, auditores, quod praeter aliis omnibus petere nos a Christo decet, lumen scilicet intelligentiae ad regendum nos et alios. Sed unde nobis hoc lumen, qui Christum jam non habemus. Atqui habemus ejus evangelium, verba et gesta Christi: de quibus scriptum est: Declaratio sermonum tuorum illuminat et intellectum dat parvulis. Rogemus igitur Christum, ut nos suo evangelio dignetur illustrare.

I. A Christo disce primo, morti obviare. Sic enim Christus Dominus, cum praesciret se in Jerusalem ad proximum pascha morti tradendum, eo iter instituit et assumptis discipulis suis ascendit. Praecedebat illos Jesus, ait S. Marcus, discipuli autem stupebant et sequentes timebant. Noverant enim Christo insidiari Scribas et Phariseos Hierosolymis. His vero nihil obstantibus, perrexit Christus ad passionem et mortem suam. Caeterum sciendum Christum, quando pontifices collegerunt concilium ut eum interficerent, non jam in palam ambulasse apud Judaeos, sed abiisse in regionem juxta desertum in civitatem Ephrem, et ibi moratum usque ad tempus passioni propinquum. Ex illa ergo civitate perrexit Hierosolymam, ut dicitur in hodierno evangelio. Ephrem porro pulverem vel pulverulentum significat, et designat hominem quemlibet, qui de pulvere ortus peregrinatur ad mortem suam. Ibi ergo

imprimis morari et latere debemus, in mortis meditatione, quando eam nobis decretam esse scimus. E pulvere egressi obviamus morti, quemadmodum instruet nos Ecclesia post triduum, cum ab incineratione ducet nos ad mortem et resurrectionem Christi. Sed quomodo obviabimus? Si cogitemus nos quotidie morituros: quotidie enim ad mortem pergimus, sed nescimus quando attingimus; ergo omnem crede diem tibi diluxisse supremum. Quod si hoc cogitemus, operam etiam dabimus ut ad moriendum omni die parati simus: atque hoc est ascendere ad mortem, eique obviare. Libro I. Reg. XIV. legimus Jonathan perrecturum ad stationem Philisthorum, dixisse: Si taliter locuti fuerint ad nos: Manete donec veniamus ad vos, stemus in loco nostro, nec ascendimus ad eos. Si autem dixerint: Ascendite ad nos, ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris. Atque ita evenit. Provocatus ad ascensum Jonathas a Philisthaeis, ascendit et percussit eos. Philisthaeos interpretantur conspersos cinere; statio ergo Philisthaeorum, statio mortis est, ubi omnia consistunt. Haec si tibi dixerit in corde tuo: Mane donec veniam ad te; esto securus, ede, bibe, lude, adhuc multum vitae tibi superest: sufficet poenitere quando ego venero, etc. malum istud signum: vinceres enim a morte et succumbes. At si dixerit tibi: Ascende ad me, obvia mihi, para te ad moriendum omni die et hora; faustum hoc erit signum: ascende forti et alacri animo: ita enim vinceas, quemadmodum et Christus vicit mortem postquam morti obviavit.

Secundo, profanam et saecularem laetitiam a te ablegare: siquidem et Christus nunquam risisse legitur nec unquam in re saeculari laetatus est, sed potius tota ejus vita passio et crux fuit, quia semper eam providit, et quod amplius est passionis genus, tormenta, probra, aliasque circumstantias sigillatim, quas in hodierno evangelio commemorat plerasque cum ait: Filius hominis tradetur gentibus, et iludetur, et flagellabitur, et conspuetur, et postquam flagellaverint, occident eum. Quis autem ridere unquam et cum saeculo gaudere posset, si certo sciret sibi in cruce moriendum esse, vel aquis se praefocandum, vel incendio consumendum similive alio lamentabili casu pereundum? Annon semper meminisset finis sui? Hincreis ad mortem damnatis solet culari mors, usque dum ad supplicium educendi sunt; ne mortis suae praevisione acerbius crucientur; id quod fecit etiam Abraham immolaturus filium juxta mandatum Dei. Cum enim filius rogaret, ubi esset victima holocausti, pater ei respondit, non utique sine maximo doloris sensu:

I.

Deus providebit sibi victimam holocausti, fili mi, Gen. XXII. Noluit nimirum sauciare cor filii victimae expressione. Verum Christo semper ob oculos versabatur universa ejus passio. Unde toties de ea mentionem fecit, uti in partibus Caesareae, Matth. XVI. in monte Thabor seu transfiguratione sua, Matth. XVII. rursum in Galilaea, eod. c. iterum in ultima caena, Joan. XIII. Alibi etiam breviter et obscure, ut Joan. II. Solvite templum hoc: Joan. III. Sicut Moyses exaltavit serpentem, ita, etc. Luc. XII. Baptismo habeo baptizari, etc. Marci X. Potestis bibere calicem, etc. Crucis vero suae passim etiam meminit et ad eam nos invitat: itaque Christus in tota vita sua nulla unquam habuit hilaria seu, ut vocamus, bacchanalia, quid mirum si etiam Christianus iisdem aliisque levitatibus ac jocis renuntiet; scit enim unusquisque non solum sibi statutum esse mori, sed etiam post hoc iudicium. Et quid est mori? Quid a Deo judicari? Nonne ista duo terribilium omnium terribilissima? Taceo acerbissimas purgatorii poenas, quae plerisque justis certae sunt.

Tertio, misericordiam et liberalitatem erga miseris et egenos. Etenim Christus primo, ad interpellationem mendici stetit, tametsi quae praebant, increpabant eum ut taceret: ita pauperum petitiones et querelae mox et aequo animo audiendae sunt. Potuit oratio hujus mendici sistere Dei Filium: quomodo clamor pauperis non moveat ac sistat hominem ad audiendas ejus querelas? Annon saxo durior est, qui serio ob amorem Christi rogatus cum juvare possit, non juvat? Cogitet igitur dives, cum pauperis vocem audit, audire se vocem Christi. Et si oratio Josue solem stare fecit, quomodo vox et oratio Christi in paupere clamantis non faciat stare divitem?

Secundo, jussit illum adduci ad se. Ita Christianus cum videt aliquem indigentem non posse venire ad quaerendam eleemosynam, vel quia infirmus sit, vel quia pudore obstante, cum honesta sit persona, publice non audeat petere; mittat illi eleemosynam, vel advocet eum in domum suam ut clanculum illi tribuat.

Tertio, interrogavit illum: Quid tibi vis faciam? Similiter danda est eleemosyna largiter, et pro indigentia quantum fieri potest, esurientibus cibis, nudis vestes, aegris medicinae et confortamenta, etc. ita nimirum ut pauperes contenti sint. Christus aperuit huic mendico totum divitiarum suarum sinum, ut petere posset, quod vellet, et dedit ei plusquam regiam eleemosynam. Possunt reges dare aurum et argentum, sed non possunt dare visum et sanitatem: Christus isti caeco visum dedit, praestantiorum auro et gem-